

Hoc colloquium, cujus verba sunt sonigeris instrumentis excepta et inde descripta, sit legentibus Latine loquendi potius quam scribendi exemplum, cum fere nihil, quod praesenti sermone dictum erat, in scripta pagina mutatum sit.

Academia Vivarii Novi. - Jovis die vicesimi mensis Augusti, anno 2015°.

Fabricius. - Maximas gratias tibi habeo, Aloisi, quod me tam benigne et tam humane excepisti in hanc sedem Vivarii Novi. Si volueris, poterimus una colloquium habere de operibus tuis ac nonnumquam de vita tua.

Aloisius. - Pergratum mihi est sane.

Fabricius. - Quo tempore vitae et qua occasione litteras antiquas adamare coepisti ?

Aloisius. - Ut verum confitear, iam inde a teneris unguiculis, id est iam inde ab iis temporibus quibus primum potui pervolvere scripta antiquorum in meam vernaculam linguam conversa, diligere coepi toto corde totoque animo ea quae nobis tradita sunt in litterarum monumentis. Verumtamen eo tempore quo adolescentulus linguis antiquis studere coepi, aliquid me decepit et sermonis peregrini difficultates, ut ait sanctus Augustinus, conspergebant quasi felle omnes suavitates narrationum poetarum et scriptorum. Illa difficultas qua tales linguae tradi solent impedimento erat quominus ad medullam et ad sucum quem sugere avebam pervenirem. Ideoque quodam modo ille fervor et ardor quo jam eram incensus puerulus minui et quasi residere incipiebat, et debui alias vias ingredi aliosque tramites ut iterum illa flamma aleretur et excitaretur.

Fabricius. - Fuitne tibi facile istas vias ingredi ?

Aloisius. - Initio quidem non tam facile, sed adjuvantibus fatis contigit mihi ut quendam virum convenirem qui alio modo litteras Latinas et Graecas didicerat ipse puer; quo duce semitam mihi aptam invenire potui.

Fabricius. - Sed quae fuerunt diligenter istae viae quas tibi proposuit ille vir doctus ?

Aloisius. - Res fuit sat singularis et forte eum conveni, omnino alia re adductus. Nam

studiosus eram amoenitatum locorum et etiam valde diligebam spectare et intueri aves volantes aliasque bestias in suis locis viventes, atque ideo in insulam quandam ab hominibus omnino desertam et derelictam me contuli, quae in sinu Neapolitano sita est. Ibi vitam degebat quidam vir singularis sat aetate provectus qui juvenis ordinem societatis Jesu ingressus linguam Latinam et Graecam eo modo discere coeperat quo in ratione studiorum erat constitutum.

Fabricius. - Id est, valebat loqui ?

Aloisius. - Latine loquebatur, Latine scribebat, et etiam Latinos versus maxima cum facilitate componebat. Ille cum me difficultatibus innumeris in paucis lineis in Italicum sermonem convertendis laborantem vidisset, aggressus, mihi suadere coepit et postea persuasit ut alias vias ingrederer. Illas rationes enim monstravit quas Jesuitae ipsi ab humanitatis restitutoribus saeculo decimo sexto exeunte mutuati erant. Quae viae statim animum meum excitaverunt: nam ubi mihi difficillimum atque arduum erat unam sententiolam intelligere, aliis methodis aliisque viis adhibitis, mihi videbar omnia intellegere, omnia posse mente comprehendere atque vel penitius, vel profundius et altius medullam rerum penetrare ab Antiquis nobis traditam. Etenim animum meum facile incendit ille vir meque docere coepit hisce rationibus. Quo modo si rogaveris, ita respondebo : ille non prius rationes grammaticas proponebat quam in quibusdam scriptis et exemplis invenissemus. Ergo, ut unum exemplum afferam, primum simplicissima scripta Latina legebamus, *Evangelia* aut alia hujus generis, neque ille a me postulabat ut in Italicum sermonem converterem sed potius ut aliis verbis idem significantibus ita rem explicarem ut per interpretationem et παράφρασιν, quam Graece vocant, eadem repeterem et dicerem ; deinde etiam σύνταξιν exercebamus quibusdam sententiis in alias formas mutandis, ut enuntiata finalia mutarem alio quodam modo quo eadem enuntiata exprimi possent, aut ut enuntiata temporalia alio modo exprimerem et ita porro. Quae omnia eo animo fecit ut satis magnam vocabulorum copiam brevi mihi compararem idque utilissimum fuit et ad legendos scriptores et etiam quo melius intellegerem ea quae scripta essent. Equidem quamvis in schola varias formas grammaticas variasque structuras συντάξεως didicissem, non tamen mihi videbar tam bene intellexisse quomodo illae structurae suo munere fungerentur, quare hae exercitationes mihi fuerunt auxilio maximo. Praeterea erat ille vir satis salsus, jucundus, leporum plenissimus; itaque effecit ut omnia jucunda transigerentur. Qui scholas suas multis facetiis condiebat, ita ut adolescentulus quindecim annorum, qualis tunc temporis eram, in hac lingua discenda laetaretur atque omnes

progressus perciperet. Cottidie enim cum ab ejus scholis discessissem, me gradus fecisse sentiebam idque mihi animum addebat et faciebat ut etiam majore fervore ad metam vellem pervenire.

Fabricius. - Nonne etiam artem memoriae cum eo colebas, id est locos auctorum memoriae mandabas ?

Aloisius. - Sane. Ille iam inde a primo die mihi suasit ut memoriam exercerem, Musarum matrem : « Repetitio est mater studiorum, inquiebat, et omnium Musarum est mater memoria, non ut psittacorum ritu repetamus ea quae alii dixerunt sed ut thesaurum habeamus et quasi penum in quo condamus omnia instrumenta necessaria ad animum vere colendum. »

Praeterea ille mihi suadebat ut cottidie vesperi aliquot versus poetarum aut scriptorum qui prosa oratione sua opera exararunt memoriae mandarem et mane eadem repeterem, dein ut singulis diebus hebdomadis ea repeterem quae iisdem hebdomadis diebus sed prioris hebdomadis jam didicissem. Hoc mihi fuit maximo emolumento quia tali pacto multae scriptorum sententiae multique poetarum versus in arcam memoriae coepti sunt congeri, ex qua deinde quasi ex domicilio et sede argumentorum omnia depromere possem quae mihi usui essent ad extruenda ea quae mea essent sicut apes ex floribus materiam hauriunt et sugunt qua suum mel conficere possint. Quod fuit utilissimum ; quin etiam, ille suasit ut in taeniis quibusdam magnetophonicis opera scriptorum inciderem quae iterum iterumque identidem audirem.

Fabricius. - Vocene tua ?

Aloisius. - Voce mea aut voce aliorum. Hac in re mihi praesto fuit Felix Sanchez Vallejo qui tunc temporis in universitate studiorum Gregoriana docebat et jam multa opera scriptorum inciderat. Equidem talia opera instrumentis sonigeris audiens potui meam copiam verborum et rerum augere. Quia hoc etiam ille iterum iterumque repetebat urgebatque ne hoc praeterirem, numquam verba esse a rebus separanda nec dissocianda atque oportere verba cum rebus discere. Quod non solum significat nos debere conjungere vocabula cum rebus quae illis vocabulis significantur, sed etiam curare ut illam vacuam et vanam artem rhetoricam evitemus, qua tantummodo verba hominibus damus eosque decipimus, et semper ad argumenta, ad res solidas et sapidas pervenire.

Fabricius. - Et quamdiu versatus es cum illo ?

Fabricius. - Cum illo inde ab eo tempore tredecim annos in illa insula degi et perpetuum exercitium mihi fuit tunc temporis, nam cottidie occasionem habebam exercendi, loquendi, scribendi, praesertim scriptores legendi non solum antiquos : quia etiam hoc mihi fuit emolumento intellegere, jam cum adulescens essem, linguam Latinam et item linguam Graecam non esse tantum linguas antiquorum hominum sed pertinere usque fere ad nostram aetatem ; homines locutos esse Latine (et item Graece praesertim in regionibus ad Orientem vergentibus) idque per totam mediam aetatem, per totam aetatem renascentium artium, per totam aetatem insequentem et usque ad saeculum undevicesimum. Tum illam Rem publicam litterarum coepi animo concipere quam hi homines constituere voluerunt, et intellexi quanti momenti talis Res publica esset ad cultum humanum provehendum et ad pacem etiam conciliandam inter homines qui inter sese lingua institutis legibus religione differrent ; quae notio me non parum excitavit et stimulos addidit etiam ad haec studia insequenda, promovenda, provehenda et ad exitum perducenda.

Fabricius. - An statim ex illo tempore quo cum illo viro doctissimo versabar non solum eas litteras colere sed easdem docere te velle tibi clare apparuit, ita ut magister fieri volueris ?

Aloisius. - Pater fuit medicus satis magni nominis in Italia et iam inde a puero omnes circa me credebant, arbitrabantur et etiam pro certo habebant me futurum medicum et vestigiis institutum patris. Ergo mihi hanc mentem mutare facile non fuit, quamquam, ut verum confitear, illud consilium colendi medicinam numquam mihi tantopere arriserat. Nihilominus officium meum saltem putabam aliquantulum sequi ea quae pater iam straverat saltemque naturalem historiam aut alias disciplinas eiusdem generis colere. At cum tantum emolumenti me vidissem cepisse ex alia ratione docendi litteras, mihi persuasi hoc esse summum officium: juvenes non sinere qui sunt in scholis et in universitate studiorum, sed praesertim in scholis superioris ordinis, credere litteras Latinas tantummodo cruciatum esse, litteras Graecas tantummodo quasi saevitias quasdam esse, a carnificibus excogitatas qui pueros in scholis excarnificare vellent, atque eis monstrare homines per saecula hoc instrumento usos esse ad omnia aperienda quae animis concepissent, inter se ut colloquia sererent de maximis quaestionibus quibus genus humanum est afflictum. Igitur post paucos annos, cum ad ultimum gradum curriculum quod in schola emensus eram, iam mihi proposueram facultatem litterarum in Atheneo ingredi et postea omnes vires meas effundere ut talis rerum status in

melius mutaretur. Quod feci in universitatem studiorum Neapolitanam ingressus, ubi lauream coronam impetravi in litteris antiquis ; postea docturam in universitate Salernitana adeptus sum atque pro viribus et pro virili parte strenue pugnare conatus sum ut litterae alio modo colerentur atque solent coli in omnibus institutis ad hoc deputatis.